

quæ reliqua erat genuina causa ex aëre per commissuras tum epistomii CD, tum ipsius vitri & orbiculi in B, sensim & continuo surrepente pendenda erit. Scilicet adeò subtilis est ac penetrans externus qui nos ambit aër, adeò validè ab incumbente superioris mole pressus, ut in loca vacua, ubi nulla est resistentia, partes ejus aliquæ subinde per insensibiles etiam rimulas intrudantur, idque in vasa ampla non minùs ac in angustiora. Pauculus tamen ille, qui sic surrepit, aër elatere suo connato se subito expandens angustiora vacua sensibilius replet, in amplioribus non adeò efficax & sensibilis, ibique adeò, jam occupato ferè omni rursus spatio quod evacuatum priùs fuerat, plus resistere subingressuræ aquæ, quàm hîc, potest. Idque adeò verum est, ut *Illustris Boyleus* insperati alius Phænomeni causam, quòd nimirum ex recipientibus sive vasis minoribus aër nihilò perfectiùs exhauriri quàm ex amplioribus & majoribus possit, (id quod hæc nova antliæ accessio nos quoque non seriel edocuit) ex eodem hoc fonte rectè nostro judicio derivârit, triplicem interim vasorum ejusmodi minorum utilitatem (quam nostra etiam campana confirmat) adnotans; quòd 1. ex puriore metallo parata magisque perspicua, clariùs spectari faciant Phænomena; 2. citiùs ac minus operosè evacuentur ac 3. citâ illâ aëris exsuctione subitas magis & conspicuas corporum mutationes exhibeant. *Experim. Physico-Mech. IX. p. m. 88.*



Phæn. XVI.  
ejusque  
causa.

CONCLUSIO V. Cur vasa rotunda & sphaerica postquam evacuata fuerint, ab ambiente aëre non eodem modo quo angulata confringantur, causam prolixè diximus *Tentam. XIII. Part. I. Conclus. VIII.* Videtur inde, tanquam quod-

E